leg. Reg. in Monarchiam conversa esset, Augustus Cæsar , congrua media adhibuit, ut hunc statum tueretur, quippe Nobiles Romanos, prout quisque eminuit, ad honores promovit, militem donis, cives annonâ sibi devinxit, cunctorumque animos dulcedine otii permulsit , ac ne odia regii nominis incurreret, titulo quidem abstinuit , potestatem verò regiam, trahendo paulatim ad se jura Majestatis, reipsâ usurpavit atque obtinuit.

Apparet 3. non omnia Regum vel Principum actitata & arcana pertinere ad rationem status, sed ea tantùm, quæ ad hunc scopũ collimant, quemadmodum eidem statum suũ ac regimen possint suffulcire; quòd si quid ex odio vel amore sibi proponant, quamvis dirigant arcana certa ac stratagemata, ad illud exsequendum, tamen propterea hæc talia media, sibi non vindicare titulum rationis status, cùm non propriè ad constabiliendam Rempublicam sed ad Principis vel Regis affectus ordinentur ; Ita v. gr. Julius secundus Pontifex, ex odio Gallici nominis, multa fecit, quæ propterea non merebantur